

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0410

0408

0414

0404

0419

0399

0459

0359

0509

0309

0909

396

et frangens potius verba quam prae loquens inter horrentia ora satis blandum quaesivit eloquium, et cum dextra manus pro-
tensione cupitum indicat iter, et sic per patentes campos vo-
litando transmittens se in fugam ex oculis mirantis evenit,
stupensque Antonius et de eo, quod viderat, secum volvens
ulterius progrediebatur; nec mora, inter saxosam couvallem
haud grandem homunculum videt aduncis naribus, fronte cor-
nibus asperata, cujus extrema pars corporis in caprarum pedes
desinebat. Ad hoc spectaculum Antonius scutum fidei arri-
puit et memoratum animal palmarum fructus eidem ad viati-
cum quasi pacis obsides offerebat. Quo cognito pressit
gradus Antonius et, quisnam esset, interrogans hoc responsum
ab eo tulit: mortalis ego sum et unus ex accolis eremi, quos
vario delusa errore gentilitas (b) faunos et satyros et incu-
bos colit; legatione fungor gregis meae: precamur, ut pro
nobis communem Dominum deprecetis, quem pro salute mundi
olim venisse cognovimus. Haec bestia loquente Antonius prae
gaudio lacrimas fudit baculoque terram percutiens ait: vae
tibi Alexandria, quae pro Deo portenta veneraris, quid dic-
tura es bestiae Christum loquenti? Nec dum verba compleve-
rat et quasi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Quo-
dam tempore istiusmodi homo unus perductus est Alexan-
driam et magnum populo spectaculum praebuit et postea, ne
cadaver exanime calore solis et aestatis dissiparetur, sale
infusum ad Antiochiam imperatori videndum allatum est. Hos
ego nec Fauni nec Saturni filios credam, dum homines isti,
illi vero animalia bruta sint. Sed possibile est, circa Saturni
tempora vel Fauni ex eis ortus est error et de eis primo
recitatio inter mulierculas haberi coepit.

Decimo quarto solitudo vel desertum est locus daemo-
num, unde Tobiae VIII. legitur, quod archangelus Raphael
religavit Asmodeum in desertum superioris Aegypti. Et Do-
minus ductus est in desertum, ut diabolus eum ibi inveniret.

Propter sex sequentes deserti conditiones intrabant olim
homines sancte vivere cupientes. Unde in regula beati Jero-
nyni Cap. IX. laudat Jeronymus desertum, dicens: O deser-
tum decem floribus vernaans, o solitudo, in qua illi nascuntur
lapides, de quibus urbs beata construitur, o eremus familiaris

Ende

Anfang